

LXXV

27

1781 /
DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA
DE
FINIBVS REGVNDIS

Q V A M

SVB AVSPICIIS DIVINIS

ANNVENTE ILLVSTRI ICTORVM ORDINE
INALMA ET PERANTIQA HIERANA
PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
RITE CAPESSENDIS

V. KALEND. IVN. ANNI CICIOCCCLXXXI.

HORIS LOCOQVE CONSVENTIS

PUBLICE DEFENDET

M. ADAM. FRID. CHRISTIAN. REINHARD
I. V. ET PHILOSOPH. PROF. PVBL. ACAD. ELECT. SCIENT. UTILIVM
SOCIUS, AERARIQVE ELECTORALIS CIVILIS,
QVOD ERFVRTI EST, CVRATOR.

ERFORDIAE

LITERIS NONNIANIS, AC, A TYP.

ITALIA DOMINA OMNIBUS
OMNIA DOMINA TERRARUM


REVERENDISSIMO AC ILLVSTRISSIMO
DOMINO

DOMINO
CAROLO THEODORO
ANTONIO MARIAE
CAMERARIO WORMATIENSI,
S. R. I. LIBERO BARONI
DE DAHLBERG

ECCLESiarVM, METROPOLITANAE MOGVNTINAE ET
CATHEDRALIVM WVRCEBVRGENSIS ET WORMATIENSIS
CANONICO CAPITVLARI, ET WVRCEBVRGENSIS
SCHOLASTICO
EMINENTISSIMO AC CELSISIMO ARCHIEPISCOPO ET
PRINCIPI ELECTORI MOGVNTINO A CONSILIIS
SECRETIORIBVS
CIVITATIS TERRITORIIQUE ERFORDIENSIS,
PROPRINCIPI

DOMINO AC MAECENATI
INDVLGENTISSIMO

TERRARVM, QVAS VICE SACRA GVERNAT,
SCSPITATORI AC DELICIIS,
HEROI TOGATO
ERVDITIONE AC SCIENTIAS
AVCTORITATE SVA ET FAVORE PROTEGENDIS
EXEMPLIO ORNANDIS
OPE ET CONSILIO PROMOVENDIS
AVITAM GENTIS ILVSTRISSIMAE GLORIAM
SVSTINENTI, AVGENTI,
NVNCVPATIS PRO SALVTE ET FELICITATE PERENNIA
OPTIMI PROPRINCIPIS
VOTIS ARDENTISSIMIS
SCRIPTIVNCYLAM HANCCE ACADEMICAM
IN
PROFVNDAE VENERATIONIS
GRATISSIMI PRO INNVMERIS BENEFICIS ANIMI
SVBMISSAEQVE DEVOTIONIS
TESSERAM
D. D. D.
SACRAMQVE ESSE IVBET
AVCTOR
ADAMVS FRIDERICVS CHRISTIANVS REINHARD.
§. I.



de natus sonis illamur, dum per se continet
obligatio ieiunii et huiusmodi. I. c. 1. 1. 1. 1.
in aliis autem studiis non solum invenimus
alium tamen etiam sicut locutione et actione in
omni modo iudicium nostrum in modis diversis
de causa et de rebus, sed etiam in operibus, in
alio capitulo.

S. I.



Cum ad contextendae ex more dissertationis
inauguralis argumentum aduenterem ani-
mum, ad duo potissimum in eo eligendo
respiciendum mihi esse sum arbitratus.

Et eorum quidem alterum, ut ex matheos
forensis penu esset depromtum, suscit propendens in haec
studia animus, datumque mihi eorum prae ceteris colendo-
rum negotium; alterum, ne longioris esset disquisitionis,
prolixiorisque ambitus, necessitas iniunxit & festinandae
non vna de causa huius scriptioonis, & obeundorum simul abs-
que intermissione munerum, quae parum mihi otii, hoc
praesertim anni tempore, relinquunt. Horum utrumque
cum conuenire mihi videretur in finium regundorum ma-

A

teriam,

teriam, factum inde est, ut eam mihi potissimum tractandam sumserim, cum praeterea usum eius tantum non quotidium esse viderem.

§. II.

Etsi autem a multis iam falcem esse in hanc messem immisam non me latebat, quorum commentationes partim ab aliis commemoratas inuenoram *), partim in eas ipse incidaram **), maxima tamen earum parte perlecta superesse mihi passim spicilegia deprehendi non penitus ingrata futura aequis harum rerum arbitris. Non omnino igitur operam me perditum existimavi, si ingrederer eam, vt, quae ab aliis iam propemodum exhausta viderem, ea vix ipse attinigerem, quae vero aut penitus ab iis omissa, aut negligenter, quam oportuerat, tractata animaduerterem, iis paulo diutius immorarer, ad patriae mores atque instituta ubique respiciens.

*) v. c. A. RAESTNER in supplem. ad *Promptuarium iuris praelicum Bertochianum* voc. *Lapis inf.* p. MULLER in additionibus ad STRVII *Syntagma iurisprudentiae* exere. XIII. §. 48.

**) RVLAND de commissariis & commissionibus p. I. l. III. c. 20. sq. & p. II. l. VI. per totum. p. MULLER de intersitio praediorum Ien. 1679. rec. 1743. H. HILDEBRAND de legitimo praediorum spatio. Alt. 1724. c. WILDVOGEL de eo quod iustum est circa arbores. Ien. 1691. rec. 1737. c. c. OTTO de finibus. Erf. 1728. c. W. MULLER de crimine termini moti. Lips. 1752. G. a.

G. A. STRV de fluminibus. Ien. 1659. rec. 1716.

D. H. KEMMERICH. de iure statuarum mercurialium, ac

columnarum milliarium. Wittenb. 1723. H. P. ZIEGLER

de finium regundorum iudicio. Erf. 1721. ANONYMI

Kurze Nachricht vom Erbbereiten, dessen Ursprung, Ceremo-

nien und Nutzen. Dresden. und Leipzig. 1750.

§. III.

Ut autem finis in genere est extreum cuiusdam rei,
in quo definit, & ultra quod non pretenditur, v. c. finis vi-
tae, ultra quem ea non perdurat, finis actionis, id, quod
per actionem consecuti, acquiescimus; sic in specie finis agri
est, ultra quem nihil est, quod ad illum pertineat. Et de agris,
vel similibus adhibita haec vox solet plerumque plurali
numero efferri, & extreum ipsum, quo ager quasi cir-
cumscriptus est, designare, limes vero, sive terminus, quic-
quid ad lineae istius finitiae, qua coërcetur fundus, ductum
notandum adhibetur, seu ut AGGENVS VRBICVS ait: quicquid
ad obseruationem finium in agro factum est. Regi autem
fines dicuntur, quoties unusquisque ager propriis finibus
terminatur, unde & finium regundorum appellata est actio.

§. III.

Diisiones & finium, & terminorum a variis auctoribus
variae recensentur, v. c. a causa efficiente in *naturales*, quos
natura ipsa constituit, & *artificiales*, sive arbitrarios, quos ar-
bitrium humanum & industria, quibus addunt nonnulli *mix-
tos*, natura prouenientes, sed arte notatos, tum ab obiecto

A 2

in

in publicos & priuatos, illos principatum, vel territoriorum & iuriis in iis a summa potestate exerceendorum, ut iurisdictionis, conductus, asyli, venationis, iuris forestalis, decimarum, e. i. g. a., hos ciuitatum municipalium, pagorum, vniuersitatum, & singulorum, de quibus vide HILDEBRAND de diversitate lapidum finalium eorumque iure c. I. §. 6. dein a durataione in perpetuos & temporarios, post a dignitate in principales & intermedios, denique a notatione in inscriptios, vel alia ratione notatos, & mutos, vel vulgares e. i. g. a. quae tamen omnes, ab aliis iam fere occupatae, parum nos morabuntur.

§. V.

Naturalium quidem finium ac terminorum haec est praerogativa, ut loco haud temere moueantur, sive certi pleniusque, & quantum fragilitas rerum terrestrium patitur, fere perpetui sint. Quamuis enim & flumina interdum alueos matent, & montium iuga subcidant, & mare retrocedat, & terra dehiscat, & siluae conflagrent, haec tamen omnia ex eorum sunt numero, quae rarissime eueniunt, ut ratio eorum hic habenda non videatur *), ut $\gamma\alpha\delta\pi\alpha\zeta \eta\delta\iota\sigma$, πάγος βανονος ει νομοθετει. Ne vero data opera immutentur, tollantur, leges prospexere, per quas v. c. arbores finales ibcidere aut faciem loci mutare, silua forte in nouale, aut arbore in arbustum conuersa obscurandorum finium causa, non licet. **). Configendum tamen saepissime ad artificialem usum, ubi naturalium copia non est, &, quia ii munitio-

* * *

tationi multo magis sunt obnoxii, magna in iis designandis
cura est adhibenda, ut etiam si signa eorum interierint, re-
stitui tamen absque nimia difficultate possint.

*) l. 3. in f. π. si pars hered. pet.

**) l. 3. §. 2. π. determ. moto. KREBS de ligno & la-
pide p. I. cl. IIII. S. 14. §. 4. sq.

§. VI.

De publicis finibus sigillatum hic multa differere opus
non est. Si enim inter principes vel respuplicas nemini sub-
iectas de iis controuersia sit, solet ea pierumque vel armis
expediri, ubi

*Non ex iure manum consertum, sed mage ferro
Rem repetunt — vadunt solida vi. *)*

vel transactione componi, vtroque autem pacto non tam id
quaeri, quantum quisque habeat iuris, quam quantum aut vi
defendere possit, aut tractando elicere, sive militum potio-
res, aut politicorum, quam ICtorum in hoc negotio esse
partes. Cum vero iure agitur, paucissima sane reperiun-
tur, quae aliter se habeant, ac in controuersiis finium prima-
tis, quae suis locis annotasse satius fuerit.

*) ENNIUS l. VII. KYSINER chrestomathia iuris Enniana.
p. 31. sq.

§. VII.

De notatione terminorum, lapidumque terminalium il-
lud modo hic tenendum, apud Romanos ipsam terminorum

A 3

for-



formam, quid significarent. locutam *), ne quis errore, aut ignorantia a crimine se termini moti excusare posset, nostris moribus ex inscriptione aliis signis cognoscendum demum esse, quid sibi velint lapides. Et in genere quidem consueverunt agrimensores, lapides finales, praesertim principales, a vulgaribus distinguere per substrata iis aliena quaedam corpora, lapillos puta, carbones, cineres, fragmenta vitri e. i. g. a. quae testes, indices, oua, appellare solent. Quae vero horum corporum, & quot subiecti fiant terminis, in eo non varia modo est variorum locorum observantia, sed alicubi adeo mensores hoc tanquam maximi momenti mysterium reticent & occultant, vt in lapidum ponendorum aeu procul esse omnes non spectatores modo, sed partes etiam, ipsumque iudicem iubeant, ne arcana sua propalentur, futurum rati, vt sic difficilius moueri termini, mutariue nemine sentiente, ab extraneis praesertim possint.**) Quod etsi non omnino improbandum, eo tamen valere non poterit, vt lapis in speciem terminalis, absque indicibus tamen, in eleuatione forte aut inspectione terminorum repertus, hac sola de causa absque vteriori inquisitione reici statim, nullaque omnino eius ratio haberi debeat. Notandum potius, reponendumque in iutis etiam mensoribus, omnes uno ore contendunt, ***) sed quantum illi habendum sit fidei, iudicis esse arbitrium, argumentisque aliunde petitis huic adhibitis iudicandum statuunt, in fide ista definienda non eidem omnes sententiae inherentes.****)

*) cf. AGGENI VRBICI commentariorum in FRONTINVM I. II.
diazographus & HYGINS de limitibus constituendis, in
Rei

* * *

Rei agrariae auctoribus, legibusque variis, cura w. Goet-
sii Amtst. 1674.

- **) RVLAND l. c. C. 3. 7. 8. MULLER ad STRVY. l. c. §.
59. B. IIII. KREBS p. II. cl. VI. S. 4. §. 15.
- ***) LINK de iure finium c. III. th. 17. BRUNNEMANN
de limitibus c. 1. §. 10. HILDEBRAND de diuers. lapid.
final. c. III. §. 6. KREBS l. c. p. II. cl. VI. S. 4. §.
25. RVLAND l. c. c. II.
- ****) WERNHER. p. x. obs. CCCXXXVIII.

§. VIII.

Omnis autem finium regundorum tractatio eo reddit, vt
aut constituendi sint primum, aut conseruandi, aut obscurati,
confusione restituendi. Recens quidem constituendo-
rum, ita vt ager ipse tum primum assignetur, nostra actate
rarissima est occasio. Neque enim aut bella ita geri mos
est, vt, quod forte agri captum est, adeintum victis inter
victores dividatur, cum principem solum mutent terrae ex-
pugnatae, non & possessores, quorum ius proprietatis illae-
sum plerumque seruatur; aut colonias deduci, nisi in loca,
forte ex habitantium raritate aut defectu inculta. Romani
tamen qua sint in agris diuidendis assigndisque ratione
versati, paucis hoc loco attingere non abs re fore existimo,
quod ea res ad ipsarum legum intellectum melius eruendum
haud parum faciat.

§. IX.

Hi igitur, cum vel proferendi imperii, mendorum
que finium, vel coēcendarum gentium inquietarum, vel
purgandae a factiosa multitudine, evacuandaēq[ue] urbis, vel
remunerandorum militum caussa, vel ut solitudines bello fa-
ctae iterum frequentarentur, coloniam deducebant, agrum
ei quem colerent, qui eo mittebantur, & vnde vitam susten-
tarent, aut captiuum ex hostibus, aut publicum P. R., pu-
blicauie pecunia coēmitum, aut ademitum priuatis, qui vel
nullo omnino iūre eum tenebant, vel plus, quam per leges
licebat, possederant, curabant assignandum, certo singulis iu-
geruin numero tributo. Hoc vt recte atque ordine fieri
posset, descriptionem primum agrorum conditores coloniae
ex professione veterum possessorum, quoad nomen, situm,
& indolem, pretiumque instituebant. Sic nimis ap-
parebat, vtrum posset vna limitatione territoriorum compre-
hendi, an vero variis locis esset assignandum, quoniam ar-
dua & confragosa, quaeue incerti & amari erant soli, non
assignari, sed in laciniis vel soluto relinqu consueuerant.
Tum mensorum, (qui & agrimensores & finitores dicti or-
dinem constituebant, qui hanc scientiam & profiteretur, &
judicaret *) quid? quod & aliquas iudicandi de cauissi soli
partes haberet **)) expediebatur officium. Per hos li-
mitibus claudebatur ager, qui assignandus veniebat, lineae-
que finitimae ductus accurata obſeruatione signorum in fle-
xibus forte positorum, vel, vbi illa non aderant, terminis
fixis designabatur. Tum per centurias ager dividebatur,

ingu-



singulaeque centuriae limitibus clausae a se inuicem separabantur, ipsae vterius in certum iugerum numerum subdividenda non iam per limites amplius, sed per terminales solidum lineas, quarum extrema tantum notabantur per lapides *angulares*, in centuriae angulis positos, *proportionales*, quibus ea in partes minores scinderetur, & *semisolidales*, qui inter duos proportionales essent medii. Ipsi autem limites erant alii maiores, sive actuarii, singulas V. centurias claudentes, pedum XII. (praeter actuarios maximos, territorium decussatim medium secantes, quorum maior erat, non tamen eadem semper, latitudo) per quos actus esset aequa ac per viam publicam, alii minores inter actuarios medii, qui & linearii, finitimarum tantum patentes itineri, nomen inde sortiti, quod latitudo eorum publica, vt lineae, nulla esset, sed priuata tantum, a modo assignationis quippe non excepta; omnes autem vel decumani, vel cardines audiebant, prout agrum assignatum vel ab oriente sole ad occidentem vel a meridie ad septentrionem secarent. His nunc limitibus quicquid propter iniquiorem soli conditionem non erat clausum, & per centurias ac iugera diuisum, assignatumque, territorio tamen continebatur, extraclusum s. extremum, quod vero aut in metiendo iugeri modum excedebat, nullisque adeo limitum regulis erat obligatum, aut de vna aliqua centuria subsecabatur, nemiri assignatum (quod interdum accidebat, cum ab extremis inde finibus inciperet assignatio) subleciuum, & a nonnullis vacuum vocabatur.

¶ Constitut. THEODOS. & VALENTIN. in rei agrariae legibus
p. 343: de magistris agrorum sancimus — qui non
fuerit

10.

* * *

fuerit professus super hac lege, damnari; si sine pro-
fessione iudicauerit, capitali sententia feriatur.

**) Constat, VALENTINIANI, THEODOS. & ARCAD. AAA. I.
4. cod. Theod. fin. reg. p. 236. edit. Ritteri, verb.
artis huius peritis omne commissimus sub fidei arbitra-
tione iudicium; cf. GOESII antiq. agr. p. 32. sq.

Ceterum rem agrariam Romanorum, cui cognoscere accu-
ratus volupet est; adeo eius scriptores & GOESII antiqui-
tates agrarias, ubi ea ex professo tractatur; profundius
cerre, quam vulgo sit, in eam penetrasse neminem poe-
nitebit.

S. X.

Fini o omni negotio, forma agri assignati accurate,
notatisque extraclusis, subsucciuis, vacuis descripta in tabula-
rio tum coloniae, tum Caesaris reponeretur. Omnia ve-
ro illa, quae in soluto remanserant, i. e. assignata non erant,
non colonis singulis, yniuersae coloniae cedeabant, sed in
eorum, qui assignandi habebant facultatem, potestate rema-
nebant donec officio fungerentur, eo vero finito renverteban-
tur, libera quidem republica ad populum, post ad Impera-
tores, ut beneficium inde in alios quandoque conferre pos-
sent. Cum igitur ea plerumque proximi possessores inua-
derent, opportunitate loci inuitati¹⁾, reuocata saepe & in
publicum restituta sunt, vel ex SCto libera republica per cu-
ratores locorum publicorum iudicandorum, vel postea per
Imperatores multa interdum non modica iis, qui publica
occupassent, dicta, donec tandem Domitianus subsecim²⁾ uni-
cuique

tuique possessorum concessit, eamque liberalitatem Nerua
confirmavit.

*) AGGENVS VRBICVS de controversiis agror. cap. de locis re-
dictis & extraclusis. p. 73.

§. XI. 157 11. 1. 17. 17

In Germania nostra hanc esse vñquam, similemne ser-
uata ratiohem, nusquam licet reperire, quin potius anti-
quissimis eius incolis non vrbes modo, sed iunctae omnino se-
des displiceant *), nec ainxia & auara limitum descriptione
agros finiebant **); & quae a Romanis in eam deductae
erant coloniae haud paucæ ***), inter assidua bella, incur-
susque & vastationes in statu suo haud diu videntur perstis-
se. Nec mediae aetatis scriptores, agrorum aut locorum
desertorum & sterilium colendorum, saltuumque extirpando-
rum ad mensuram concessorum mentionem villam faciunt; &
argumento praeterea est antiquis agrorum & iugérum mo-
dus, non ex superficie dimensione geometrica, sed ex fru-
menti, quo ea conferebatur, copia aestimatus, cuius vbiique fe-
ré & hodie supersunt vestigia. Non desunt tamen, quae
documento sint, in finibus & notandis & conseruandis, tuen-
disque, suam maiores nostros desiderari passos non esse so-
lertia.

*) TACITI Germania c. XVI. Nullas Germanorum popu-
lis vrbes habitari notum est; ne pati quidem inter se
iunctas sedes: colunt discreti ac diuersi, ut fons, ut cam-
pus, ut nemus placuit. STRVV corp. hist. Germ. pro-
leg. §. III. §. 6.



**) HACHENBERG Germania media. diss. VI. §. 14.

***) FLORVS I. IIII. c. 12. AMMIANVS MARCELLINVS I. XVI.

c. 3.

§. XII.

Et terminis enim varii generis limites distinxerunt, & contraversis eorum dirimendis quoddam quasi arbitrorum arualium corpus esse voluerunt, viris constans, qui fundos ipsi possiderent, colerentque, a tuendis conseruandisque terminis Hegemahl dictum, quod adhibito mensore iure iurando adstricto, de finalibus iurgiis, remotis litium ambagibus cognosceret, rei agrariae omnis curam ageret, & modica delicta rure admissa multa coerceret. Ut scilicet in reliquis caustarum figuris, neminem fere iudicari voluerunt, nisi ab iis, qui eiusdem cum ipso conditionis essent, & peritiores cum rei, de qua ageretur, & aequiores eo ipso iudices hoc pacto habiturum vere arbitrati, sic de agrorum quoque controversiis, non nisi ab iis sententiam ferri iusserunt, qui ipsi agriculturam exercentes, nec ignari essent specierum circa eam obuenientium, nec aliis iniuncturi, quod sibi fieri nolent. Ex quo vero tota illa antiqua iudiciorum forma, nescio, annon maiore partium malo, quam commodo, introducto iure Romano, constitutisque collegiis iudicantium perpetuis, immutata est, haec plerumque collegia, huic vni negotio vacantia, cum ex grauioribus causis atque arduis, ad ipsorum cognitionem proprie spectantibus tantum non rediret, Quantum vitae pro seculi more, officiique dignitate sustentandae satis esset, ne nimium frig eret interim res familiaris, minimi

nimi quoque momenti lites, sub praetextu plerumque imperitiae eorum, qui more antiquo eas iudicabant, ad se trahere coeperunt, aduocatorum deinde opera facile in eum adducendas statum, ut sumptus impendendi vincant plerumque rei, de qua certatur pretium. Sic factum est etiam ut antiquis istis sodalium arualium collegiis*) quae, si iuri Romano standum erat, poterant arbitrorum instar esse (§. ix. nota **) ex constitutione Imperatoria commemoratorum, ius de controveneriis agrorum in prima, ut vocant, instantia cognoscendi, decidendi, exequendique, licet diu reluctantibus, variis tamen artibus tandem sit extortum **), idque solum reliatum, ut eorum, quae ad rem agrariam pertinent, curant agant, memoriamque conseruent, ex commissione iudicis ordinarii ipsa in rem praesentem veniunt, eaque inspecta ad eum referant, tum delicta leuiora, quibus non maior unica sexagena (alt Schock von 20 Groschen) mulcta dici soleat, ea coercent, ut denique, quae ad mensorum pertinent officium, ipsis praesentibus expediantur, fidem demum ab ipsorum attestatione acceptura; quod vero quanto sit partium dispendio factum, neminem potest fugere, qui vel paucissimas limitum controvenerias inspexerit.

*) Sodales, sive fratres aruales commemorat CIVICVS obſſ.
I. X. c. 34. verb aruales sodales ὡς περὶ ὁγων Διαγνωσον
τες δινεσαι. & I. XI. c. 5. quod nomen in haec collegia
egregie conuenit.

**) H. P. ZIEGLER diss. c. §. XVII. nota oo. De anno 1706.
d. 3. Iul. exrat adhuc decretum ill. Regim, in hac verba:
Wer vom Hegemahl graviret ist, kann an die Gerichte appellieren,



lirent, was aber rechtmässig worden, von den Hegemahen
len exequitur werden.

§. XIII.

Inter cetera vero ad finium conservationem a maiori-
bus instituta illud non ultimo est loco commemorandum, quo
aut quotannis (postridie dominic. Rogate) aut statim certe
temporibus ciuitatum, pagorumue & territorialium iis con-
iunctorum fines sollemni pompa obiri, & velut sacra quaedam
ambarualia (Flürgänge s. Flürzüge) celebrari solent. In
iis praecunte fratrum arualium collegio pars magna ciuium
seu rusticorum fines districtus sui (Flur) ambeunt, magna
liberorum praesertim impuberum comitante caterua. Tum
ad singulos lapides, palos, arbores, fossas e. i. g. a. terminales
subsistunt, instrumentis concinitur musicis, sclopeta explo-
duntur (quod vocant, die Steine bebläsen und beschließen) in-
terdum etiam qui primum ad eos accedunt, in illos elevantur,
aut infantes aurium vellicatione *), vel inficta leui alapa **)
atmonentur, ut memoriae eas limitum notas alte insigant,
quo testimonium aliquando de iis perhibere possint. Hac si-
mili occasione terra, qua lapides forte operiri coeperunt, re-
monetur, collapsi termini restituuntur, & si quid forte litigiosum sit, adhibitis vicinis compositio tentatur. Solent
eum in finem singulorum eiusmodi tractuum formae secun-
dum leges geometriae in charta descriptae sernari, accura-
ta limitum notatione distinctae, ut qua incedendum, quidque
obseruandum sit, constet. Et hic sane mos ad finium certi-
tudinem seruandam, testesque eorum, si quando opus fuerit,
procurandos, haud parum confert. ***

*) Ex

* Ex more veterum Romanorum. Horat. Serm. I, 9. v.
76. sq. licet attestari? Ego vero oppono auriculam;
Virgil. Ecl. VI, 3. Cynthius aurem vellit, & admonuit.

**) Ex veteri, nec irrationabili Germanorum more cf. Lex
Ripuarorum tit. LX. §. I. in corp. Iur. Germ. GEOR-
GII. p. 173. si quis — comparavit, cum — testibus &
totidem pueris accedat, & unicuique de paruis alapas
donet, & torqueat auriculas, ut ei in postmodum testi-
monium praebant. LEYSER sp. CXIII. coroll. 3.

***) H. HILDEBRAND exerc. academ. de visitatione finium pro-
vincialium atque publicorum. Altorf. 1716.

S. XIII.

Ceterum simile est vero, non ante ad amissim modum
agrorum exigi coepisse, quam tributa & collationes pro eo
imponi, & catastra eum in finem & aestimiorum libri (Ver-
richten) confici cooperunt, in quorum tamen usu, ne falla-
murus, fallamusue, eaute admodum est propter varios, qui
bus obnoxii possunt esse hi libri, errores, versandum. Cum
enim singuli essent in eos fundi referendi, iugerumque simul
exprimendus numerus *), bonum hercule fuisse factum, si
quantum quisque possideret, accurata dimensione **) explora-
ratum, & ad unum aliquem agri modum reuocari sic totius
territorii fundi essent in libros conscripti; verum id vix
scio, an usquam factum sit, sola potius possessorum profes-
sione pro fundamento consignationis adhibita, quod sumti-
bus sic parci videretur. Hanc vero normam permuta sunt,
quae

quae incertam, dubiamque reddant, de quibus nonnihil erit dicendum.

*) l. 4. π. de censibus.

**) de cuius instituendae ratione optima cf. Bellmanns vollständige Anleitung zur Geodæsie. c. V. VI. Quae anno 1506 instituta fertur, eam, si modo perfecta est, saltim non satis accuratam fuisse, euentus testatur.

S. XV.

Ipsè primum iugerum (der Morgen oder Acker) modulus saepe ne in eodem quidem pago, rarius in pluribus vicinis unus idemque est, quin porius & perticarum, quae in iugere continentur, quadratarum numerus, & perticae ipsius longitudo admodum differunt inter se. *) Et diuersus quidem in iugericibus perticarum numerus videretur plerumque ex antiquo agri modum ex semente aestimandi more ortus, cum in regione minus fertili maiore, in fertiliori minore opus esset superficie ad eandem messem obtinendam. Perticarum vero differentiam similius est vero partim inde descendere, quod diuersos olim, qui iis vtuntur diuersis, pagi habuerint dominos, partim etiam inde, quod, quem semel erant iugerum numerum, ex parum accurata fortassis aestimatione professi, cum praestare postea non possent, fors etiam interdum, vbi multi a forensibus possidentur fundi, aucto varijs artibus eo, qui communis pago remanserat, & certo



17

certo plerumque iugerum numero definitus non erat, agro,
(Gemeine Flecke) cuiuslibet tamen posse forū, ne fraus subo-
lesceret, competentem ipsi iugerum numerum praestare in
speciem saltē vellet, de iugeri potius modo, immanuta
perticae longitudine demscrint, quod ibi praeſertim factum
coniicio, vbi praeter integros pedes etiam partes eorum per-
tice continet. Sic memini rusticum quendam contendere,
licet in pago suo 13 pedum pertica eſſet introducta, adhiben-
dam tamen in pratis dimetiendis, quae nonnisi $12\frac{1}{2}$ pedum
eſſet, addita ratione, weil sie ſonſt mit ihrer Ackerzahl nicht
auskämen.

* Non ingratum me rerum patriarum curiosis facturum
confido, si diuersum iugerum in diuersis territorii Er-
fordiensis pagis modum hic exhibeam, cum praeſertim
inde eorum, quae hic afferuntur, mulra & exemplis il-
lustrari & confirmari poſſunt. Utat autem sermone
Germanico, ut & ab imperitis Latinae linguae intelligi
poſſit, & in hac expositioне ita verſabor, ut primo loco
pagorum proponam nomina, altero numerum pedum,
quibus perticae longitudo, tertio perricarum quadra-
tarum, quibus iugeri ambitus conſtat, quarto quantitatem
iugerum absolutam, pedibus quadratis expreſſam, quin-
to denique relatam eandem ad iugerum vulgare 168
perticarum quadratarum, quarum quelibet longa ſit
pedes 14, & partibus eiusdem decies millesimis ex-
preſſam:

C

Fluren

	Zahl der Schühe in der Ruthe.	Zahl der Schühe aus den A. auf den Acker.	Quadrat der Schühe aus den A. der.	Teile des acminen Ukers von 168° 14' schwigen Ruthens.
Fluren				10000
Ermstädt, Freienstädt, Fröschelborn	14	64	12544	0,3809
Gorsstädt, Mortleben, Orlstädt	14	84	16464	0,5000
Zimmern insfraborn	10	168	16800	0,5010
Wechstädtwagd, Werningelaben	12	150	21600	0,6559
Egstädt, Kirchheim	12	160	23040	0,6997
Andelschen, Salomonsborn einhei- misch Feld, sogenannte Husäcker	12	168	24192	0,7346
Dachwig	12½	160	25000	0,7592
Waltersleben	13	148	25012	0,7596
Hepsgarten, Vargula, Zimmern su- pro	14	128	25088	0,7619
Walchleben	12½	168	269543	0,8186
Friedrichsdorf, Kühhhausen, Wit- terda	13	160	27040	0,8212
Eickeben, Gissersleben Vitz u. Kiliani				
Salomonsborner Lindersfeld	13	168	28392	0,8622
Ulach	10	300	30000	0,9111
Gutendorf, Stötternheim	14	160	31360	0,9523
Stadtflur oder Weichbild, Aymans- dorf, Bechstädt Straß, Berßtädt, Bindersleben, Buseleben, Da- berstädt, Dittelsstädt, Hayn, Hoch- heim, Hochstädt, Ilvergehosen, Ißroda, Kerspleben, Linderbach, Marbach, Melchendorfer Thals- land, Mößisburg, Mönchenholz				
Fluren				

	Schühe in der Ruthen.	Schühe Ruthen	Quadrat auf den A. auf den Acker.	10000 Etheile des gemeinen Ackers von 168' 14. Schuaten. Acker.
hausen, Niedernissa, Mohra, Ne-				
Bernissa, Ollendorf, Rotha, Sa-				
lomonsborner Hohewinde, Schal-				
lenburg, Schmira, Schwerborn,				
Sohnstädt, Sommerda, Tiefthal,				
Tötteleben, Udestädt, Urbach, Uz-				
berg, Vippach, Windischholzhan-	14	168	32928	1,0000
sen, sogenannte Erfurter Acker	14 ²	168	35322	1,0727
Klein Mörschen, Viezelbach	15	160	36000	1,0933
Mühlberg	15	168	37800	1,1479
Nöhrborn, Ulla	16	160	40960	1,2439
Nöhrensee				
Hohenfelden, Kettbach, Meckfeld,				
Melchendorf Bergland, fl. Reut-				
bach, Tiefengruben, Tonndorf,				
sogenannte Fuldaische Acker	16	168	43008	1,3061
Klein Brembach	14	256	50176	1,5238
Schelleroda	18	232	75168	2,2828

S. XVI.

Praeterea maiores nostri de parva terrae portiuncula non adeo solliciti videntur saepe modum agri non ex semente modo, ut supra est dictum, sed & ex oculorum iudicio, aut passuum numero, aut sola longitudine latitudineve,

vbi earum alterutra ab utroque fundi latere non multum differaret, & parallela quoad sensum esset, definiuisse, quod nomina ipsa Strichel, Sottel, Dreigerte, Gelenge &c. ostendunt. Sic vero cum saepe ab exacta aequalitate aliquantum hic mensurae modus recederet, errorem inde interdum induci catastris, quae eiusdem tractus iugera omnia sumunt aequalia, necesse fuit. Est deinde iugerum alia in agris, alia in vineis, magnitudo, neque tamen satis definita alterius ad alteram ratio, vnde, cum multae sint vineae in noualiam postmodum mutatae, nascitur & hinc incerti quidpiam, maius etiam futurum, nisi pristinae earum indolis perpetua servetur memoria. Tum nec illud silentio est praeterendum, videri interdum diuisos inter cohaeredes fundos non ex quantitatibus, sed ex bonitatis modo, vt minorem sortiretur pars, qui meliorem, quod vbi non accurate satis notatum, & aequalis forte utriusque parti portio in catastris adscripta fuerit, neque hoc vitio carere palam est. Certum est denique & hoc, multos olim fundos non ex iugrum numero sed veluti per auersionem (ein Fleck Landes) fuisse descriptos primum, & in catastra relatos, mensura serius demum adiecta. Hanc iam si quis forte reuocasset ad modum iugeri alius, quam quo utuntur in tractu illo, ad quem fundus pertinet, ignarusque differentiae quaerenti, qui catastrum consiciebat, professus esset, alterutra iterum pars ut laederetur, contingere poterat. Et horum quidem omnium exempla aut aliunde mihi nota sunt, aut ipsi obtigerunt; supersunt forte plura etiam quae me lateant.

§. XVII.

Ex his nunc collectis id profecto, nisi omnia me fal-
lunt, efficitur, vt, quamvis quoad tributorum conferendo-
rum rationem plena sit catastris fides habenda *), multa
etiam vbi de possessione ipsa quaeritur, modus tamen agri,
quem singuli iure suo possideant, non satis certo possit ex
iis, vulgari modo confessis, definiri, sed eorum, quibus
idem iugerum numerus est adscriptus, maiorem alter, alter
minorem, & absque vitio vterque, & absque alterius iniu-
ria possidere. Inde vero facile elucescit, quid de iis sit sen-
tiendum, qui, cum forte in dimensione tractus cuiusdam,
agri aliquanto plus, quam catastris continetur, apparuerit,
statim illud sub caduci nomine fisco vindicant, quid? quod
ea sola de causa, vt, quod ad fisum rapiatur, inueniant, ad
tractuum dimensionem sponte prouolent. Primum enim
quam parum certus eiusmodi disquisitionum fundus sint ca-
tastra nostra, satis nobis videmur, quantum per angustiam
temporis, spatique licuit, ostendisse. Deinde, quo libi iure
fiscus haec talia, ab ipso nunquam profecta, vindicare queat,
non satis nos intelligere, profitemur ingenue. Apud Romanos
enim, ubi agri omnes colonis assignati & limitati vndique
erant, vt non modo, quod praeterea v. c. alluione, vel alio
quo modo vltra assignationem accessisset, sed & quod intra
ipsum territorium in soluto relictum erat, publicum P. R.
vel principis esset, qui talia invadabant, nec viro id iure, nec
bona ideo fide faciebant, vnde merito ab iis illegitime occu-
pata ad fisum ad quem ab initio pertinuerant, reuocaban-
tur. Nostri vero agri **) quanquam & ipsi saepe limitati et
C 3 fe



se solent, eorum tamen longe alia est ratio, nec vñquam ii
possessoribus a principe ad mensuram concessi, reservato eius
quod assignationem exuperaret, dominio, vt ad illud quoquis
tempore regressus pateret, inueniuntur. Praeterea satis ple-
rumque constat, non de publico id, quod abundat, agri pro-
fectum, sed praeter eas, quas supra enarrauimus, inaequali-
tatis cauſas, inde ortum, quod interſtitia, quae olim pleros-
que fundos interiacebant, paullatim ab auidis possessoribus
aratro sint subiecta, siveque agri modus auctus. Ea vero cum
non sint publica, sed vniuersitatis, cuius intra territorium
ſita ſunt, irineri & pascuis destinata, ſiquidem corum extet
memoria, non fisco iſtum exceſſum, sed vniuerſitati eſſe re-
ſtitutis interſtitii vindicandum ***), ſin nulla ſuperſit, ex
praescriptione immemoriali possessoribus absque vlla vterio-
ri inquisitione adjudicandum ****), in aprico eſt. Vnicum
illud non immerito exigetur, vt abundantem iſtam agri por-
tionem in catastra referendam curet poffedor, & onera pu-
blica, quibus reliqui ſubiacent fundi, eius intuitu in ſe reci-
piat, non vero, vt pretium eius fisco aut alii cuiquam per-
ſoluat. Neque ſolet in ciuitate noſtra redacta ex eiusmodi
caducis pecunia in aerarium Electorale inferri, ſed Separatim
colligi, aſſeruarique ſub nomine der Depofiten Caſſe, publicis
ciuium neceſſitatibus ſubleuandis inſeruitura. Eſt tamen &
ſic adhibenda cautio in declarandis caducis, ne publici in ſpe-
ciem commodi gratia iura priuatis legitime quaesita violen-
tur, cum ſalutis publica vigere nequeat, niſi ſalua vndique pri-
uatorum ſalute, fartisque & tectis iuribus eorum ac poffeffio-
nibus conſeruatis.

*) L. V. BECHMANN D. de aestimis. von Steuer: und Anz.
lags Registern. Jenae 1680.

**) G. A. STRV. de fluminibus Jenae 1659. rec. 1716. th. 37.
& citatus ibi, mihi tamen non visus OETTINGER de iure
limitum l. II. c. 2.

***) Quod non fieri, sibique haec interstitia per iniuriam eripi
iam anno 1716. d. 2. & 9. Oct. apud Ill. Regim. conque-
stum est collegium aruale der 11 Gemeinen.

****) Ut pote quam & contra principem plerique admittunt
(LEYSER sp. CCCCLXI.) & contra ciuitates si quoque, qui
l. 24. C. de SS. Eccl. per Nou. CXL. quoad eas non sub-
latam contendunt (KITTERSHYSIVS in differ. Iur. Civ. &
Canon. l. IV. c. 14.) agnoscere tenentur, ad nullam praet-
erea bonam fidem, nullum titulum, nullam rei qualita-
tem adstrictam. (STRV. syntagma I. C. exere. XXXXIII.
§. 23. & alii; l. fin. π. de Aqua & aquae plu. l. 3, §. 4.
π. de Aqua quotidiana, c. 1. de praesc, in 6.)

§. XVIII.

Illud vero non abs re hic quaeremus: possitne & fini-
um in genere, & interstitiorum, quae fundos intercedunt, in
specie admitti prae scriptio, de quo non vna est eademque
ICtorum sententia *). Nobis, ubi lex aut statutum speciale in
contrarium non extat, sed in medio est haec quaestio relicta,
affirmando ea esse procul dubio videtur. Interstitia enim
praediorum legitima absque lege expressa nulla sunt, antiquo
illo V pedum spatio dudum per l. §. C. fin. reg.**) sublato Quod
vero apud nos vsu obtinet, ut qui sulcos non parallellos vici-
nis, sed in eos transuersim incidentes ducent velit, spatium
in



in suo a cultura purum relinquere teneatur, ut circumfuerit aratrum absque damno vicini, factio eatenus sulco possit (eine Vorart) id non magis huc spectat, quam quod l. 13. fin. reg. praecepitur & magna ex parte apud nos quoque servatur, cum horum spatiorum vtrumque eius maneat proprium qui de suo illud reliquit **), sicque ne pro confinio quidem haberi possit, V pedum vero spatium vtrique parti fuerit commune ****), eamque maxime ob causam a neutra tanquam suum praescribi potuisse videatur.

*) Negant MULLER diff. S. c. th. LXII. & HILDEBRAND de legit. praed. sp. §. 14—19. affirmant reliqui fere omnes v. c. LINK. de iure fin. c. IIII. th. 12. BRUNNEMANN de limit. c. III. §. 6. MULLER de criminis term. moti. KREß p. II. cl. VI. S. 4. §. 12. etc.

**) Cuius ea nobis arridet interpretatio inter plures a MULLERO diff. c. §. VIII. allatas, vt hoc sibi velit: *sublata praescriptione i. e. praeinitione Vpedum liberam peragi intentionem & finalis iurgi* i. e. litis de eo ipso spatio, circa quod solum locum olim habuisse videtur actio fin. reg., & locorum i. e. litis de ea agri confinis parte, quae ultra illud spatium esset, vbi olim de proprietate fuisset experiendum. (SIMPLICIVS p. 79. edit. GOES.)

Et firmatur illa eo quoque, quod, cum antea in l. 1. C. THEODOS. de actione, certo temp. fin. (III. 14.) fin. reg. petitio a praescriptione nominatum fuisset excepta verbis: *nam petitio f. r. in eo scilicet quod nunc est iure durabit*, ea lex verbis his omissis relata sit in l. 3. C. de praefer. XXX, vel XXXX. annorum.

***) HIL-

*) HILDEBRAND de leg. pr. sp. §. 20.

**) SIMPLICIUS p. 83. edit. GOES,

§. XVIII.

Nec aliter videtur de finibus ipsis sentiendum. Primum enim nusquam in iure nostro a generali l. 3. C. de praescr. XXX. vel XXXX. ann. dispositione excepta est actio fin. reg. Nec obstant, quae obiciunt nonnulli c. 4. X. de paroch. & can. 4. 5. 6. C. XVI. qu. 3. Nam c. 4. X. refert se ad statuta per canones, sive ex can. 6. c. explicandum est, cuius verba: *si tamen basilicam veris signis limes praefixus monstrauerit*, satis ostendunt, eam intelligi speciem, vbi terminorum notatio in oculos incurrens bonam fidem transgredientis excludit; can. 4. & 5. in f. vero dispositionem specialem Iur. Can. hoc non pertinentem continent, eoque ipso firmant in casibus non exceptis regulam generalem, quam can. 4. verb. - *quicunque — per XXX annos sine aliqua interpolatione possederit — admittenda non est contra eum actio reposendi*, & canon 6. verb.: *quodsi limes legitimus eandem basilicam non concludit, & tam longi temporis probatur obiecta praescriptio, appellatio — non valebit, quia illi tricennialis obiectio silentium imponit, agnoscent*. Quam porro allegant dissentientes, finium inter confines communio, ea magis ad V pedum interstitium pertinet, aut certe ad fines pro talibus ab

D

vtra-



vtraque parte agnitos, & possessos, vbi praescripturi bonam fidem exulare manifestum est. Vbi vero aut limitum notatio certa & conspicua nulla est, aut pars alterutra positis terminis quousque proprietatis suae fines extendat, satis declaravit, legitimo XXX. annorum tempore, (quia mixta est, cui praescribendum, actio. l. f. cod. fin. reg.) nullo eius possessionem ex capite, nisi probatae ab actore malae fidei, impugnari posse dicendum est. Si enim per integrum illud temporis spatium vicinus possessionem illam non interruperit, aut citati, cum termini ponerentur, confines vel non comparuerint, vel non contradixerint, neque tunc, neque postea, dum per leges licet (*), quo iis colore regressus ad ius per spatii a legibus praeiniti decursum neglectum, omisumque patet, nisi ex eorum sint numero, quibus in integrum competit restitutio, non video. Nec bonae fidei defectus argui potest, cum quis agri, quem legitime acquisiuit, fines uti nunc sunt, ita in posterum quoque esse voluerit, cum, quod de catastris suae cuique possessionis modum satis demonstrantibus obiicitur, quam leue sit, & quo valeat, iam sit exppositum. Tandem, si usquam alias, hic profecto opus est, ne dominia rerum in incerto flucent, cum iurgia finalia & intricata plerumque sint & sumtuosa, quorum, admissa praescriptione, multa tollitur materia. Immemorialis vero praescriptionis eam esse vim, vt & contra priuatos & contra publicos fines (vbi lege expressa aliud sanctum non est) valeat, neque tituli, neque b. f. probationis indiga, & in confessio fe

re est apud omnes, & a nobis supra iam ex parte com-
memoratum.

* KREBS p. II. cl. VI. S. 4. §. 12. qui adeo pluribus in lo-
cis ius contradicendi lapidum positioni, intra anaum &
diem restringi refert.

§. XX.

Valebit etiam aduersus eos sane praescriptio, quorum
agri, licet non confines, in eodem tamen tractu siti sunt, non
eo modo, vt, quod alteri forte supereft agri, eius ipsi, cum
nihil ad iustum fundorum modum iis desit, petere nihil pos-
sint (haec enim non praescriptionis demum, sed solius iam
possessionis haud vitiosae vis esse mihi videtur, vt de ea, nisi
probato fortiori iure, deiici ab alio non possimus) sed co-
quoque, vt ne id quidem, quod vere ipsis deest, ex eo, quod
alteri abundat, isque per legitimum tempus possedit quietus,
suppleri iure queat, modo adst illi iustae possessionis per iu-
stum tempus continuatae probatio, saltem quoad hunc aclo-
rem. Ad illam vero facere existimo non modo terminos na-
turales; vt crepidines altiores e. i. g. a., inter vtrumque fun-
dum interiectos, sed interiacentes quoque fundos alias ter-
minis legitimis & praescriptionis exceptione tutis conclusos,
eosque adeo reliquis ab vtraque parte positis, & prodesse &

D 2

noce-



nocere, quod solet alias de re inter alios acta iure suffragante negari. Id enim eiusmodi fundi luce meridiana clarus ostendunt, agros ab utroque eorum latere sitos per legitimum praescriptionis tempus non fuisse modo in eadem, quae nunc est, ad se inuicem ratione, & per integrum illud spatium agnitarum alterius ab altero absque contradictione possessionem, sed nec potuisse eum, qui citra est, quidquam agri quoconque modo ab eo, qui ultra est, auferre, cum fines certos atque conspicuos transfilire haud potuerit, sive & possessionis tempus legitimum, & bonam fidem, quae duo sunt praescriptionis fundamenta, extra dubitationem collocaent. *) Vnde nemo non videt, quam iniuste agant & mentores, qui, quod in tractu quodam abundat agri, non relinquunt possessori, sed inter omnes, quorum in eo fundi siti sunt, pro rata diuidendum statuunt, & iudices, qui, quod vni deest, ex eo quod alii in eodem tractu superest supplendum pronunciant, licet intercedant fundi terminis certis & legitimis conclusi, quos nulla temporis habita ratione loco mouere religioni sibi non ducunt. Eorum enim artes, qui margines & semitas paullatim culturae subiiciunt, ne petitioni suae obstent, non ignorae sunt.

*) Agnouit hoc das Heggemahl der 11 Gemeinden in relatione ad Ill. Reg. d. d. 18. Nouemb. 1714. verbis: solche Stiecke auch zum Theil in Nändern, auch in Steinen, so in 40 bis 50 Jahren nicht gesetzet worden sind, liegen, darüber wir nicht kommen können.

s. XXI.

Neque tamen & illa finium recens constituendorum species omnino nobis est praetermittenda, cum, qui ab uno ante possestus, aut aliquorum communis fuerat fundus, inter plures diuiditur. Et posse id fieri priuatim, nemine praeter ipsas partes adhibito, modo sui omnes iuris sint, plenamente obtinere vigorem inter ipsas, quod aetum fuerit, certum est (arg. I. II. n. f. r.). Possunt etiam variae conditiones ex partium conventione adiici, ut v. c. vilioris agri maiorem vnum portionem, melioris alter minorem accipiat, vel alia ex causa ab aequalitate recedatur, & semper quod omnibus placuerit, id, nisi lege prohibetur *), ius ratumque erit. Quin ex errore ortam inaequalitatem vel laesionem, si intra legitimum tempus a laeso impugnata non sit, conualefcere, nec agi postea ad eam reparandam posse ne a tertio quidem b. f. possessore, cum in eum plus iuris transferri nequeat, quam ille habuit, a quo rem accepit, sive ei de reperto postea fundi sui defectu querendi, eiusque resarcitionem petit ius nullum esse, merito statuimus. Ceterum optime sibi consulturos, qui & terminos ad maiorem ipsis auctoritatem conciliandam, adhibito sodalium arualium collegio, iisque quorum interest, vicinis constituendos **), & fundi diuisi formam cum accurata terminorum obseruatione, partiumque, quae singulis obuenierunt, notatione distincta signandam, partium subscriptione muniendam, ex ea rem omnem in catastrum referandam, eiusque exemplum in tabulario arualis collegii reponendum curauerint, res ipsa lo-

D 3

qui-



quitor. De iis divisionis legibus, quae ad formam magis, quam ad materiam spectant, v. c. vt omnibus ex partibus in vnum possit punctum coiri, vt lineae partium finitimae sint inter se parallelae, vel in data ratione, vel sub dato se angulo secant e. i. g. a. Geometrarum libri sunt consulendi ***). Quod ad fines publicos attinet, uno verbo hic monuisse sufficiat, quae de iis inter principes Imperii R. G. & extraneos inveniuntur conventiones, iis, vt ratae sint omni ex parte, Imperatoris & Imperii consensum accedere oportere. ****)

*) Sie, ne in partes nimis minutus fundi discerpantur, & reipublicae interest, & eorum, quibus certae ex iis praestationes debentur, vnde leges id fieri plerumque vetant, & quibz facilius iterum partes ad totum reuertantur, ius retractus ex iure congrui (des Gespfeß. Gespalte a findendo) ubique sere introductum est, cuius ea est vis, vt, cum duorum fundorum, qui vnicam olim possessionis vinciam constituerunt (die einen Zins und Lehn Herrn, besonders eine Verrechts Numer und ein Stem haben) unus vendatur, possit, qui alterum possidet, repulso emtore eum sibi vindicare, modo tantundem offerat, nec iuri retractus, facta sibi, vt oportet, denunciatione iam renuntiauerit, quo iure nos quoque viimur. cf. A. FRITSCH tractatio de iure congrui. Jenae 1737. H. RENNEMANN iurispr. R. G. Membro III, disp. XXIII, §. 50. sq. Huic gemi-

geminum est, quod in Saxonia de non alienandis praediorum pertinentiis, concedendoque praedii principalis possessori iure protimiso anno 1732. statutum est, quod tamen facta praediorum divisione principali ad partem unam ab alterius possessore iure congrui retrahendam non valere contendit c. HANACIUS de praediis principiter diuisis iure congrui non retrahendis. Wittenb.
1736.

**) Hoc, quod vbiique consilii, apud nos, si eiusmodi finitiones valere quis voluerit, necessitatis est per Edictum d. d. 17. Nov. 1739. verb. und so bey Erbschaften, Vergleich, Feldvtrungen oder andern Vorfällen eine Bertheit oder Ackermessung nöthig zu seyn erachtet würde, dieselbe durch das Hegemahl und dessen geschworenen Feldmesser vornehmen zu lassen, oder zu gewarten, daß solche für null und nichtig erkannt werde.

***) v. c. Schwenters practische Geometrie, Vollimhaus von der Felder- und Land-Theilung. Langsdorf Erläuterungen über die Kästnerische Analysis endlicher Größen, 2te Forts. S. 397. f. f.

**** Mosers deutsches außwärtiges Staats-Recht B. II. C. I. §. 4. vnde hoc ipso, quo haec scribimus, anno cum Fr. Episcopus Basileensis cum rege Galliac de finibus initam conuen-



conventionem penitus iam absolutam & conclusam Imperatori ac Imperio confirmandam demum obtulerit, rescriptum ei ab Imperatoria maiestate legitur, violatas esse ab ipso leges Imperii, quae exigant, ut conclusionem eiusmodi pactorum antecedat confirmatio Imperatoris ac Imperii, non subsequatur.

§. XXII.

Omnibus autem, vel plerisque certe iurgiis finalibus materia praecideretur, si publica auctoritate certi aliquando atque indubbi fines constituerentur. Id fieri ut possit, singulorum primo tractuum accuratae essent instituendae partibus omnibus adhibitis, dimensiones, formaeque describendae eius magnitudinis, ut non iugera modo, sed & partes eorum possint accurate distingui, singulique in eas singulorum fundi ex vera, quae iam iis est, quantitate, tum viae omnes, actus & semitae, marginesque, accurate referenda. Tum computata horum tractuum superficie, & cum iugorum numero, quem continere ex descriptione debebant, collata dispiciendum, tantumne comprehendant agri, ut sufficiat omnibus. Deinde singulorum etiam fundis ad mensuram exactis, & cum eo, quem profecti sunt, agri modo collatis quibus abundet, quibus etiam desit aliquid, videndum esset. Iam supplendus esset primum de exuperantia

rantia ista illorum, quibus nec praescriptionis, nec earum
quas supra exposuimus alia obstat exceptio, defectus,
dein restituendi ex eadem, quarum forte memoria adhuc
extaret, semitae, actusque, reliquum agri iis, apud quos in-
uentum esset, relinquendum. Hac nunc ratione satis des-
nitae singulorum possessiones accurata essent finitione com-
prehendendae, lapidibusque positis terminandae, quorum
capitibus incisae ad ductum perticae lineae recturam finium
accurate demonstrarent, nouaque forma ad nouam hancce
finitionem exacta describenda, terminique in ea omnes, li-
neaeque finitimae distantiis ex vero expressis notandae. Ex
his denique singulorum tractuum formis atque dimensioni-
bus noua atque accurata totius territorii descriptio, perpe-
tuo futura usui, esset conficienda, & in collegii arualis li-
bros referenda, eique descriptioni noua quoque catastra
forent accomodata. Nec quenquam fore credimus, qui
huius negotii in publicum utilissimi sumtus facile perhorre-
scat, cum certissimum sit, vix unum fore ex agrorum pos-
sessoribus, cui non longe pluris motae de finibus controuer-
siae aut constiterint iam, aut constituae sint, nisi haec
aliquando medela perniciosa, quae nunc est, finium incer-
titudini adhibeatur.

§. XXIII.

Et de finibus quidem constituendis, conseruandisque
catus nobis pro instituti ratione videmur dixisse. Superest,

E

vt



ut de obscuratis, confusisque pauca adiiciamus. Obscurati quidem vbi sunt fines, id solum datur negotii, ut inuestigentur iterum & in clariori constituantur luce. Ea vero res adeo nonnullis ardua est visa, ut desperata via ordinaria ad insolitam & superstitionem per virgulæ mercurialis (Wünschelruth) se conuerterent vsum, quem & incertum esse, vel potius irritum, & illicitum, fraudibusque insuper obnoxium hodie vix attinet dicere, vbi talibus fabellis vix alibi, nisi inter discipularum cathedras & anicularum hemicyclia fides adhibetur. Et esse eum improbatum a Collegio ICtorum Vitebergenfi, cui calculum ipse adiicit, refert WERNHER in *diff. de finibus per virgulam Mercuriale non inuestigandis*. Vitceb. 1734. & in *Vindictis dissertationis de f. p. v. m. n. i.* aduersus Putoneum ibidem eodem anno ab ipso propositis. Veniamus igitur ad veriores inquirendorum finium modos, missis spuriis.

§. XXIII.

Eorum praecipuus est inspectio finium, eorumque qui supersunt terminorum, adhibitis & artis peritis, & iis quorum interest a iudice vel eius commissario instituenda, quae interdum etiam ad perpetuam rei memoriam decerni potest, vbi periculum est, ne terminalia ferè obscurati penitus intereant. Vocant eam lapidum elevationem, quoniam tolli lapides vel eleuari a mensoribus in isto actu solent, ut & forma eorum integra, & num testes iis vel indices subiecti sint, appareat,

pareat, de qua ad satietatem usque agit RVLAND I. c. Finita
 ea, solet relationi iudicis vel commissarii adiungi mensorum
 iudicium, si quidem ita sit comparatum ut nihil eorum aut er-
 rorem aut malam fidem aperte arguat. Hic si lapides, aliae
 terminorum notae occurrant, in quibus pars aduersa hanc
 qualitatem agnoscere recuset, fides iis porro concilianda, aliis
 argumentis in subsidium vocatis, quo pertinent testes vicini,
 praecipue seniores, tum & alii eiusdem regionis, de visu
 quid? quod in antiquis etiam de auditu deponentes, vel etiam
 scripturae & ichnographiae aut publica munitae fide v. c. ex
 tabulariis publicis desumtae *), aut ab utraque parte agnitae,
 quae enumerationem terminorum contineant, quin & fama
 communis, notaque in vulgus eiusmodi termini significatio, &
 quae sunt eius generis alia, quibus, quantum sit tribuendum
 aut singulis, aut iunctis iudex arbitrabitur. Sin ii, qui repe-
 riuntur, lapides vel termini alii non sufficiunt ad determinan-
 dum lineae finitiae ductum, ut nonnullos intercidisse appa-
 reat, illud primum videndum, sintne forte capitibus eorum,
 qui adsunt, incisae lineae recturam finium demonstrantes, ut
 sic ex duarum eiusmodi linearum, quoisque opus est, con-
 tinuatarum concursu indicetur locus, quem illud, quod non
 appetat, signum obtinuisse vero sit simile, vel ubi illud cura-
 tius rimando erui adhuc forte possit, quod tamen in unico
 interdum, non item in pluribus procedit. Vbi inspectio so-
 la non sufficit, aliae praeterea probationum species adhiben-
 dae, saepe & leuiores: enarratio forte finium aut vicinorum,
 in libris censualibus aut terminalibus antiquis (Lagerbücher,
 Flurläufer) & reliquae, quarum iam ad fidem lapidibus con-



ciliandam mentionem fecimus, ut, quae singulis non constat
fides, pluribus, iunctisque constet.

*) NIC. IANVA DE PASSERIEVS de scriptura priuata l. V.

qu. I.

S. XXV.

Vbi confusi iam sunt fines, constat autem de eo, quinam ante confusione fuerint, facilis est eorum in statum pristinum restitutio, modo eius meminerimus, quod superiori loco disputatum est, ex solo agri modo, in catastris cuiusquam adscripto, de illo non satis semper constare, sed ad ea quae ibi dicta sunt, aduertendum animum. Eorum si nullum obster, is cui propter confusionem finium aliquid defest, consequetur id non a confine solum, sed & alio quoque in codem tractu, cui superest, quin & a pluribus proportione fundorum, quos possident, si pluribus superest, licet soleat plerumque subsisti, cum primum unus est inuentus, cuius copia sufficiat defectui sarcendo. Illud tamen tenendum, nec ultra tractus unius fines esse progrediendum, unde, si, quod deest cuidam, intra eos non superest, eo, quod reliquum sibi est, contentum oportebit esse possessorem; nec peti quidquam posse, nisi quod iusto agri modo deest, in reliquam enim alterius forte fundi exuperantiam nihil est alii iuris, quod possessionis haud vitiosae iuri praevaleat. Nec eo progrediendum illi, qui se laesum existimat, ut lite pendente ipse, quod sibi ablatum existimat, occupet, perdet enim

enim, & restituere cogetur, quod abstulit, si in iudicio vi-
cerit, tantumdem vero de suo insuper amitter, si vixus fue-
rit per l. 13. π. *quod met. causa*, l. 7. C. *vnde vi*, & l. 4. C.
fin. reg. quarum usum apud nos non exoleuisse maximi no-
minis iCti statuant*). Est tamen apud nos usu receptum,
vt ei, qui agri quid a vicino arando sibi decerpsum senserit,
impune sit, si consensim illud iterum occupet.**) Si de fini-
bus, quinam ante confusionem fuerint, non satis expedita
res est, locum habent ea, quae de obscuratis finibus dixi-
mus, & ubi nihil ex utraque parte certi adferri potest, aut
amicabili compositione lis terminanda, aut arbitrio iudicis,
quod hic laxius est solito per l. 2. §. 1. π. *fin. reg.*, neutri
tamen parti fraudi esse debet, vt in eius forte detrimentum
noui constituant fines. De sumptibus autem finium regundo-
rum ita solet statui, vt, si confusos esse fines alterutrius dolo vel
culpa lata appareat, teneatur is eos praestare integros, sin
confusos quidem fuisse, sed neutrius dolo insignioriue culpa,
vterque eos conferat ex aequo. Si vero alter quidem con-
finium terminos ponи voluerit, factum autem alterius, pro-
pter quod ea limitum notatione opus fuerit, allegare omni-
no nullum possit, cum qui nihil, quo fines turbarentur, ad-
miserit, in partem impensarum terminationis iniustum vocari
nec iura praecipiunt, nec obseruantia patitur ***)

aido*) STRVIL. exercit. ad π. XIII. §. 53. & ad eam MVL-

LER NOT. ε. LEYSER fp. CXIII. coroll. 2. BRVN-

NEMANN ad l. 4. C. fin. reg. cf. LINK de iure fin. c.

III, th. XIII. OTTO de finibus c. III. §. 5. sq.; dubi-

E 3 tant



tant tamen nonnulli de vsu huius legis, cf. PEREZ ad l. 4.
C. f. I. & STRYK. in V. M. π. ad tit. fin. reg.

**) arg. l. 17. π. de vi & vi arm.

***) KREBS l. c. p. II. cl. VI. S. 4. §. 41.

Ad fines obscuratos, confusosne restituendos prodicta
est actio finium regundorum, de qua cum satis dicatur in
omnibus π. compendijs commentariisque, dictumque sit ex
professo in dissertatione ZIEGLERIANA l. m. plura hic afferre,
crambenque bis coctam recoquere supersedemus, id modo
cum KREBSIO l. c. §. 2. notantes, licet ea iure Rom. non nisi
in praediis rusticis locum habeat, utile tamen fin. reg. iudi-
cium, in yrbanis quoque praediis, rusticorum faciem haben-
tibus obtinere, per l. 4. §. 10. π. fin. reg., ob cessantem
tunc dispositionis contrariae rationem.

Ita vero finem hic imponimus commentationi nostrae,
cuīus argumentū qui non pro ipsius dignitate tractatum es-
se obsecerit, habebit confidentem reum, sed festinationis ex-
cusatione culpam deprecantem, veniamque petentem; for-
tassis & plura aliquando & politiora de eo poterit a nobis
expeditare.

X 2310747

ULB Halle
007 469 942

3



V018



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

1781 /
 TIO INAVGURALIS IVRIDICA
 DE
BVS REGVNDIS

Q V A M

SVB AVSPICIIS DIVINIS
 TE ILLVSTRI ICTORVM ORDINE
 ET PERANTIQVA HIERANA
 S IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
 RITE CAPESSENDIS

M.D.CC.LXXXI.

ORIS LOCOQVE CONSVETIS

PVBLICE DEFENDET
FRID. CHRISTIAN. REINHARD
 H. PROF. PVBL. ACAD. ELECT. SCIENT. VTLIVM
 AERARIQVE ELECTORALIS CIVILIS,
 QVOD ERFVRTI EST, CVRATOR.

ERFORDIAE
 LITERIS NONNIANIS, AG, A TYP,

